14

11

S. P.

Purgatum me venio, colendiss.me Pater. At quid dices multimodis
Accipe has igitur excusationes. Usque hunc diem nescivi, ita me
Deus amet, petysse nostras te litteras, quas iam primum mater nobis
dixit omnibus tuis literis flagitasse. Quin etiam ipsi saepe mirati
quid obstaret cur non per Matrem nobiscum expostulares de
non missis litteris. Otium praeterea nec tempus fuit, quanquam
vulgarem hanc excusationem existimabis, quam vel desides
proferre solent, non est verum vel te iudice si rem perpendas
Omne enim tempus describendis Ioanni et mihi versibus —
impendo, totus in illis. Nec tamen hoc tantum verum etiam
docendus mihi Mauritius testudine, illi etiam tempus
impendendum ut ipse iubes. Equitandum etiam est, licet
non ideo tantum temporis intermittatur. Ioannes enim qui
nos docet non tam crebro venit, sed saepe singulis hebdomadis
bis tertio; iam octiduum est cum non equitaverimus. Nos
tamen reverso te plus quam discedente scimus, uti spero,
nam ipse interdum iam nos coepit laudare, quod numquam
alias, ex eo facile audire est nos profecisse. Rogavi illum
alias an nondum cito ocreis et calcaribus incedendum

10

© Koninklijke Bibliotheek
KA 44, nr. 11
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/10

erat, Illo ubi vis inquit. His igit. cum indigeam — velim (quanquam inhonestus videbor, qui purgatum me vendas ausim etiam aliquid a te petere) ut me pari ocrearum et calcarium dones, quemadmodum alias — Bergis versus sororibus utrique Psalterium, quae tamen — nullomodo meruerant, quomodo tu? inquies, Meministine quos et quot miserim versus? Eos perlege. Eos numera an non omnes isti versus uno pari ocrearum et calcarium valeant, si solvas secundum promissa, Quid? an — iniquum postulo? praesertim cum tanti tibi sint ut vel praelo committi debere dicas, Quare maiorem in — modum a te contendo ne patiaris irritas meas esse et inanes preces. Vale Hagae-comitis xvi°. Kalendas Maijas CIƆIƆCX

Tui observantissimus

Constr: Huygens

a° 13

© Koninklijke Bibliotheek
KA 44, nr. 11
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/10

A Monsieur

Mons.r huygens Secretaire
d'estat A

Zutphaen

© Koninklijke Bibliotheek
KA 44, nr. 11
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/10